

[p. 364.]

## CAPVT XVII.

DE  
RENOVATIONE INVE-  
STITVRAE A SVCCESORE  
FEVDI PETENDA, ET LAV-  
DEMIO.

## DISTINCTIO I.

*Inter inuestituram primam, & re-  
nouationem inuestiturae.*

[pag. 365.] **D**istinctionem hanc iam supra <sup>1)</sup> tetigi  
hoc loco paullo plenius de usu eius agam. Re-  
peto regulam a Dd. tradi solitam: *quidquid iu-  
ris circa inuestituram primam, idem et ex regula  
circa renouationem inuestiturae obtinet.* <sup>2)</sup> Exce-  
ptio est, nisi doceri possit diuersa vtriusque  
ratio. Qua quidem demonstrata, usus huius  
distinctionis sese satis luculenter prodit. Eri-  
mus igitur in enumerandis praecipuis, quae  
vtramque intercedunt, differentiis solliciti.  
Ipfa iam natura inuestiturae tum primae, tum  
iteratae, accurate constituta, eas statim suppe-  
ditabit. Inuestitura prima est actus, quo pri-  
mo adquirenti vasallo feudum sibi primitus col-  
latum a domino reuera traditur; renouatio in-  
uestiturae est actus, quo, mutato domino vel  
vasallo, inuestitura primo adquirenti iam facta  
confirmatur et renouatur. Germani <sup>3)</sup> dicunt:  
*der Lehn Folge thun, die Lehn erneuren, die Lehn  
muthen.*

<sup>1)</sup> Scilicet ad cap. XII. Dist. 8. MOEL.

<sup>2)</sup> Sam. STRYCKIVS in exam. iur. feud. cap. II. qu. 20.  
MOEL.

<sup>3)</sup> Adde: *ad personam vasalli respicientes.* WOL.